



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

15. Ex injuncto &c. Prioratum Bierbacensem juxta Lovanium, olim Ordinis Sancti Benedicti, sub Jurisdictione Abbatiaë S. Nicasii Remis, supprimit anno 1561. ejusque Bona annectit Sacraë Facultati ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

& Litteris Apostolicis Ecclesiae, Monasterio, Praeposituris, & Ordinibus praedictis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, ac in solitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam super electionibus faciendis, ac aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, unionibus & annexionibus, & incorporationibus, etiam similibus suppressionibus, & extinctionibus, facultatibus, mandatis, indulgentiis, & aliis gratiis quibusvis personis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, etiam de latere Legatis, etiam motu simili, seu Consistorialiter, ac aliis quomodolibet concessis, & in posterum concedendis, quae, & quas illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad praemissa omnino suspendimus, & in praemissis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse decernimus, ac tam eis, quam statutis, consuetudinibus, concordatis, fundationibus, privilegiis, Indulgentiis, & litteris praedictis, etiam si pro illorum sufficienter derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inferri forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, & sufficienter suspensa, illisque derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliquis super provisionibus sibi faciendis de Praeposituris, & Prioratibus huiusmodi speciales, vel alii Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generalis dictae Sedis, vel Legatorum eius Litteras impetravit, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel aliam quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, & inde sequuta quaecumque, ad Praeposituras, & Prioratum suppressos praefatos volumus non extendi, sed nulum per haec eis quoad asequutionem Praepositarum, aut Prioratum, vel Beneficiorum aliorum praedictorum generari.

Aut si dilectis Filiis, Conventui, & Vassallis dicti Monasterii, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, assignationis, statuti, decreti, inhibitionis, erectionis, institutionis, ordinationis, translationis, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo

sexagesimo primo, septimo Idus Augusti, Pontificatus nostri, anno secundo.

Erat signatum Fed. Cardinalis Cestus Glorierius. Adhuc inferius erat signatum A. M. de Alexiis.

Prioratum Bierbacensem juxta Lovanium, olim Ordinis Sancti Benedicti, sub Jurisdictione Abbatiae S. Nicasi Remis, supprimit anno 1561. ejusque Bona annectit Sacrae Facultati Theologicae in Academia Lovanienfi.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis desuper Apostolicae servitutis Officio ad ea libenter intendimus, per quae Litterarum Studia, ex quibus militantis Ecclesiae Republica gubernatur, divini nominis cultus protenditur, omnisque prosperitas humanae conditionis augetur, ubique floreat, & augeatur, & personarum huiusmodi studiis insistentium commoditatibus consulatur; & ut personae ipsae aliquod subventionis auxilium suscipiant, & studia ipsa decentius manuteneri valeant, de congruae provisionis subsidio solerter providemus, ac desuper disponimus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Decani, & Magistrorum Collegii Facultatis Theologicae Famosae Universitatis Lovanienfis, Mechliniensis Diocesis, petitio continebat, quod cum in amplissima, & populosissima inferioris Germaniae Provincia nulla alia insignis Universitas Studii Generalis fundata sit, & illa vetus stipendiorum, sive portionum mediocritas, quae Professoribus, & Studentibus in Theologia in dicta Universitate assignatur, ad fovendum, & alendum tot Scholares Theologicae disciplinae, quot praesentis saeculi deplorata calamitas exposculet, nequaquam sufficiat, quin & pleraque ex ipsis portionibus plusquam expediret tenues sint.

Praesertim cum Theologiae Studium diuturno, ac aeternali labore transigatur, ut exinde solidus fructus reportetur, innumeri pauperes clarae indolis, & Magisterii gradum in artibus istis affecturi, ad altiora studia huiusmodi non provehantur, qui alias modico subsidio sustentati in ipsa Theologia praestantissimi evaderent, ut inde laboriose hausta salubri doctrina, jam undique invalentibus Lutheri dogmatibus, ceterisque superstitionibus per universam Dei Ecclesiam conspersis sese fortiter opponere, pravasque Haereticorum opiniones reprimere, & confutare, ac denique auctoritatem, & obedientiam Romani Pontificis pro tempore existentis adversus impios defendere possint.

Et licet jam inde ab eo tempore, quo Monasterium Sancti Nicasi Remensis, Ordinis Sancti Benedicti, seu illius Abbas, & Conventus tunc Ecclesiam saecularem, & Collegiatam, nunc vero dicti Ordinis Regularem Prioratum Loci Bierbacensis Leodiensis Diocesis, à tunc Dominis temporalibus, seu Feudatariis dicti Loci, ad quos Juspatronatus dictae tunc Ecclesiae spectabat, de consensu etiam tunc Ducum Lotharingae, & Brabantiae, sub quorum ditione temporali dictus Locus consistebat, nec non tunc Episcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Leodiensis, & Archidiaconi Brabantiae in Ecclesia Leodiensi, pietatis inritu donatum in elemosynam, cum ea conditione, quod cedentibus, vel decedentibus sex Canonici, qui tunc erant dictae Ecclesiae, Loco illorum totidem Monachi instituerentur, & de illorum Bonis sustentarentur, jure, & jurisdictione Episcopi, & dictae Ecclesiae Leodiensis, quam ipse Episcopus in Monachos ipsius Ordinis dictae Leodiensis Diocesis habebat, ac etiam Parochiae Bier-

XV.
Ex Oper.
Diplom.
Miraei
Tom. II.
p. 1093.

bacensis, nec non Canonica etiam iustitia, salvis remanentibus.

Quodque Rector, seu Vicarius Ecclesie Prioratus huiusmodi, quae etiam tunc Parochialis erat, per dictum Archidiaconum Brabantiae ad praesentationem Abbatis dicti Monasterii institueretur, eique de Bonis praedictis portio quindecim Librarum Lovanensium annuatim assignaretur, receperunt, & post approbationem donationis huiusmodi à felici recordationis Gregorio IX. seu X. aut alio tunc Romano Pontifice factam, dictus Prioratus uni Religioso ejusdem Monasterii dictum Ordinem expressè professo, ex collatione, & provisione praefati Abbatis assignari soleat.

Nihilominus nec praedictus, nec etiam talis numerus Monachorum ibidem deserviat, & quandoque unus, quandoque verò duo, nec unquam, aut rario plures Monachi cum ipso Priore ibidem degant, sitque Diocesis praedicta Monasteriis, aliisque Regularibus Locis etiam ipsius Ordinis abunde dotata.

Si dictus Prioratus, quem dilectus Filius Stephanus Flebagillus Prior obrinet, ac in eo Dignitates, Prioratus, & Conventualitas, & si quae sint Loca, & Monachales portiones, nec non Ordo, status, & essentia regulares supprimerentur, & extinguerentur, ac illius Bona, fructus, & jura quaecumque Collegio Decani, & Magistrorum huiusmodi, ad effectum erigendi, & instituendi tot alias portiones Lectorum, & seu Studentium in Theologia, quot ex fructibus, redditibus, & proventibus praedictis commode ali possent, ac alias in mantentionem dicti Collegii, reservatis tamen, & salvis infra scriptis, applicarentur, & appropriarentur.

Profectò per hoc quamplures Viri Studium Theologiae huiusmodi ob graves impensas alioqui deserere coacti, ad arcendos haereticorum conatus, & simul fundandum in ipsa Ecclesia Dei latissimam frugem idonei suscitarentur.

Quare pro parte eorumdem Decani, & Magistrorum asserentium, fructus, redditus, & proventus ejusdem Prioratus, & illi forsàn annexorum, trecentorum Ducatorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut Prioratum, ac dignitatem Prioratus, & Conventualitatem, ac si quae sint Loca, & monachales portiones.

Nec non Ordinem, statum, & essentiam Regulares praedictas supprimere, & extinguere, ac illius Bona, fructus, & jura quaecumque Collegio Decani, & Magistrorum huiusmodi, ad effectum praemissum, reservatis, & salvis infra scriptis, perpetuò applicare, & appropriare, aliisque in praemissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignemur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica alijs uniri, tenerentur exprimere verum annum valorem, secundum aestimationem praedictam, & Beneficii cui aliud uniri peteretur, (alioquin unio non valeret) & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, quique Fidei Catholicae propagationem, & divini Cultus augmentum, & personarum Litterarum studiis instantium, & in eis Legentium subventionem, nostris potissimum temporibus, sinceris exoptamus affectibus, eosque Decanum, & Magistros, ac eorum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel Causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes.

Nec non ejusdem Collegii fructuum, reddituum, & proventuum verum annum valorem praesentibus pro expresso habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsius Stephani ad hoc accedente con-

sensu, Prioratum praedictum, cum primùm illum per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem praefati Stephani, etiam apud Sedem Apostolicam, aut etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti, & Sedi praedictae per Constitutiones Apostolicas pro tempore reservata existit, aut Ordinariis Collatoribus per easdem Constitutiones, seu Litteras alternativarum, aut alia privilegia, & indulta Apostolica concessis, haecenus, aut in pristinum, aut quomodocumque, & quomodocumque concedendis vacare contigerit.

Etiam si actu nunc quovis modo, & ex cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Stephani, vel cuiusvis alterius de illo in Romana Curia, vel extra eam etiam coram Notario publico, & Testibus spontè factam, aut assequutionem alterius Beneficii Ecclesiastici, quavis auctoritate collati vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta, ipseque Prioratus dispositioni Apostolicae specialiter reservatus existat, dummodo tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter Jus quaesitum.

Et in eo dignitatem Prioratus, ac Conventualitatem, nec non Loca, & portiones, & denique Ordinem, Statum, essentiam, & dependentiam Regulares, ex nunc prout, ex tunc, & è contra, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuò supprimimus, & extinguimus, ac omnia, & singula illius Praedia, possessiones, bona, & proprietates, nec non fructus, redditus, proventus, decimas, Censur, Jura, jurisdictiones, obventiones, & emolumenta, Collegio Facultatis Theologiae huiusmodi ad effectum praemissum.

Ita quod liceat praedictis Decano, & Magistris illorum omnium, & singulorum, corporalem, realem, & actualem possessionem, etiam actu ex nunc vivente dicto Stephano, absque Spolijs, & attentatorum vitio, aut Judicis decreto, vel alio ministerio, propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuò retinere, ac etiam ex nunc ex ejusdem fructibus, redditibus, & proventibus portiones huiusmodi, salvis tamen, & reservatis ex ipsis fructibus quindecim Libris Lovanensibus, & decem, & octo Ducatos auri similes, vel citra constituentibus, Rectori, seu Vicario dictae Ecclesiae Bierbacensis, per praedictum Archidiaconum instituendo, pro sua portione competenti.

Nec non viginti quinque Florenis Caroli, viginti Scupheris pro quolibet Florenno computatis, & duodecim Ducatos similes, vel citra, constituentibus, Magistro, seu Rectori Scholae dicti Loci pro illius mantentione, ad hoc ut ipse Magister pueros Incolarum ejusdem Loci scientia intruar, bonisque moribus diligenter imbuat, perpetuis futuris temporibus; pro una, videlicet in Domini nostri JESU Christi, & altera medietatibus quindecim Librarum, & viginti Florenorum huiusmodi in B. Joannis Baptistae Nativitatum Festivitatibus perfolvendis, erigere, & instituere, seu constituere, & deputare, Diocesani Loci, aut cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate, & tenore praefatis perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non dilecto Filio Nicolao Monacho dicti Prioratus, Ordinem ipsum, ut asserit, expressè professo, apud Nos, & Religionis zelo, vitae, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendato, ut commodius sustentari valeat, de alicujus subventionis auxilio providere, ac praemissorum meritorum suorum intuitu, specialem gratiam facere volentes, eidem Nicolao pensionem annuam centum florenorum, etiam Caroli, quinquaginta Ducatos similes, vel circa constituentium, super fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & Bonis praefatis, sibi quoad vixerit, vel Procuratori suo ad hoc ab eo speciale mandatum habenti, per

Decanum, & Magistros præfatos, ac alias personas Facultatis Theologicæ hujusmodi annis singulis, pro una videlicet in eisdem Domini nostri JESU Christi, & altera medietatibus pensionis hujusmodi in Beati Joannis Baptistæ Nativitatum Festivitatibus prædictis integrè perolvendam, eisdem auctoritate, & tenore reservamus, constituimus, & assignamus.

Decernentes possessionem prædictorum Bonorum, & proprietatum, fructuum, reddituum, & proventuum, decimarum, censuum, jurium, jurisdictionum, obventionum, & emolumentorum hujusmodi, sic actū ex nunc vivente dicto Stephano, ut præfertur, apprehensam, veram, & non fictam, & pro continuata, & non momentanea haberi, & censeri, nec Decanum, & Magistros præfatos ad aliam ulterius apprehendendam teneri.

Et si quis occurrente vacatione dicti Prioratus, ac etiam ex nunc quoquo modo, etiam ex Apostolica provisione in eo se intruserit, seu dictos Decanum, & Magistros super possessione hujusmodi, ejusque dependentiis molestare, perturbare, vel inquietare præsumpserit, illos super vera possessione molestatos, perturbatos, & inquietatos, ac etiam spoliatos censeri, illosque super spolio hujusmodi agere posse; Ac ex nunc Prioratum, ac in eo dignitatem Prioratus, & Conventualitatem, loca, portiones, ordinem, statum, & essentiam Regularem hujusmodi ex nunc suppressa, nec non fructus, redditus, proventus, & alia præmissa Collegio prædicto applicata, & appropriata esse.

Ipsique Decano, & Magistris etiam ex nunc plenum Jus in bonis, proprietatibus, fructibus, aliisque præmissis omnino acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo Jure quaesito, ac de annali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, plenariè gaudere debere.

Prioratumque prædictum, ad hoc ut cuiquam conferri, seu commendari, uniri, aut alias concedi, seu de eo alias disponi valeat, de cætero vacare non posse, neque debere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nec non Decanatum, & Magistros, & alias personas præfatas ad integram solutionem dictæ pensionis eidem Nicolao faciendam juxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod illi ex Decano, Magistris, & personis prædictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediatè sequentes, pensionem prædictam, per eos tunc debitam non persolverint cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrant, à quo, donec Nicolao, vel Prædecessori prædicto de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut alias desuper cum Nicolao, vel Prædecessore præfato amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constituti absolutionis beneficium nequeant obtinere.

Si verò per sex Menses dictos triginta dies immediatè sequentes sententiam ipsam animo, quòd ablit, sustinuerint indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem suppressio, & extinctio, ac applicatio, & appropriatio nulla, & invalida, & dictus Prioratus in pristinum statum restitutus sint, & esse censeantur, eo ipso districtius inhibentes Episcopo, Capitulo, Abbati, Conventui, & Archidiacono præfatis, & quibusvis aliis personis, ne de Prioratu præfato, si vacat, aut vacare contigerit, ut præfertur, & prætextu quorumcumque Privilegiorum, & Indulgentiarum Apostolicarum, ac litterarum alternativarum, eis sub quibuscumque tenoribus, & formis concessorum, cupiam providere, seu alias quomodolibet disponere, aut aliquem ad illum eligere, præsentare, assumere, seu in eo instituire:

Nec non quibuscumque aliis personis cujuscum-

que dignitatis, gradus, ordinis, & præminentia, etiam Cardinalibus, & familiaribus continuis, Commensalibus nostris, etiam antiquis, & descriptis, ac in Capella nostra Cantoribus, Capellanis, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditoribus; nec non prædictis, & aliis Romanæ Curia Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, & illorum mensarum, & alias qualitercumque qualificatis personis, quamvis etiam Episcopali, Archiepiscopali, aut alia majori dignitate, seu etiam Imperiali, vel regià excellenti fulgentibus, quascumque speciales, vel generales, etiam mentales reservationes, primarias preces, similes vel dissimiles uniones, annexiones, & incorporaciones, suppressiones, extinctiones perpetuas, & temporales, absque consensu Coadjutorum deputaciones, ac nominandi, & conferendi, ac quascumque alias citra accessus vel regressus facultates, gratias, & mandata, etiam de providendo, & commendando, ac uniendo Litteras, concessiones, privilegia, & Indulta quacumque; etiam cum provisionibus, commendis, unionibus, annexionibus, & incorporacionibus, & aliis dispositionibus, etiam nominatim, specialiter, & expressè de Prioratu prædicto vacante, vel vacaturo, etiam consideratione, intuitu, & contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut in eorum, vel Ecclesiarum, aut Monasteriorum, & illorum Mensarum, & Beneficiorum quorumcumque.

Ac etiam in ullius favorem, & ob remunerationem laborum, & obsequiorum Nobis, & dictæ Sedi impensorum, & in recompensam Jurium cesorum, vel oblaturum, aut spoli, & damnorum.

Ac etiam ex quibusvis aliis quantumcumque urgentibus Causis, ac cum quibusvis antelationibus, suspensionibus, restitutionibus, & aliis efficacissimis, & insolitis Clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, & aliis, etiam in vim contractus, seu pacti, vel statuti perpetui inducentibus, & quæ ex tunc verè, & non fictè effectum sortita censentur decretis, etiam motu, & scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet perpetuò, vel ad tempus concessa, & concessa, & in posterum concedendas, & concedenda.

Quas, & quæ, nec non Constitutiones alternativarum, ac Privilegia, Archiepiscopis, Episcopis, Collatoribus, & Collatricibus, ac personis præfatis, ac aliis quibuscumque, etiam cum similibus, & fortioribus Clausulis concessa, & concedenda, etiam si de illis, ac personis, de quibus, & illarum prerogativa, auctoritate, præminentia, nec non causis, propter quas concessa sint vel fuerint, specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret.

Eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes omnino suspendimus, & in Prioratu prædicto effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, habentibus, & prosequentibus, ac habituris, & prosequuturis, ne in illo directè, vel indirectè quovis quaesito colore se intromittere præsumant, districtius inhibentes.

Ac etiam decernentes, ex nunc quascumque acceptaciones, collaciones, provisiones, commendas uniones, annexiones, & incorporaciones, & alias dispositiones de eodem Prioratu, etiam per Nos, & Sedem prædictam, etiam prætextu quorumcumque similibus, vel dissimilibus gratiarum, & concessionum factas, & faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per ea cuiquam Jus acquiri, seu coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac suppressionem, extinctionem, applicationem, & appropriationem hujusmodi ex nunc omnimodum effectum sortitas esse, & censeri, nec in quibusvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, & limitationibus suppressionum, extinctionum, applicationum, & appropriationum, etiam effectum non fortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad summi

Apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, quocumque tempore fient, tanquam effectum non sortitas, nisi de presentibus, & eorum toto tenore, & data, specialis, specifica, & expressa mentio fiat, ac de consensu dictorum Decani, & Magistrorum minime includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, ac de novo, & sub quacumque data per dictos Decanum, & Magistros eligenda concessas.

Sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostrae esse, fuisse, & fore, easque nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vicio, seu intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam quacumque ratione, vel causa, etiam rationabili vocari, causamque, vel causas, propter quam concessae sunt, coram loci Ordinario, etiam tanquam à Sede Apostolica delegato, minime verificari.

Hac propterea, seu ex eo quod interesse sibi putantes vocati non fuerint, per subreptionem obtentas praesumi, viribusque propterea carere: sicque per quoscumque Judices ordinarios & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in quavis causa & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiti debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Muranensi, Amerinensi, ac Feltrensi Episcopis per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, & in eis contenta quaecumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Decani Magistrorum, & personarum, ac aliorum, quos eadem praesentes concernunt, & concernent, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdem in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra litteras, & in eis contenta huiusmodi firmiter observari.

Ac pensionem praedictam Nicolao quoad vixerit, vel Procuratori praefato, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis praedictarum continentiam, & tenorem integrè persolveri.

Non permittentes Decanum, Magistros, & Personas, ac alios praefatos super litteris, & in eis contentis huiusmodi quomodolibet indebitè molestari.

Et nihilominus quoslibet ex Decano, Magistris & Personis praedictis, quos huiusmodi Excommunicationis sententiam eis incurrisse constiterit, & quoties pro parte ejusdem Nicolai fuerint requisiti, tandiu Dominicis, & aliis festivis diebus in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad Divina convenerit, excommunicatos publicè nuntient, & faciant ab aliis nuntari, ac ab omnibus arctius evitari, donec Nicolao, vel Procuratori praefato de pensione huiusmodi tunc debita fuerit integrè satisfactum, ipsique excommunicati ab excommunicationis sententia huiusmodi absolutionis beneficium meruerint obtinere.

Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus priori voluntate nostra praedicta, ac aliis praemissis, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in certis exceptis casibus, fieri prohibentis, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, & aliis Cancellariae Apostolicae Regulis, etiam revocatoriis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinationem, & alias in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Monasterii, & Ordinis praedictorum juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, illis, eorumque Abbatibus, Conventibus, Superioribus, Patribus, & Personis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, & Sedem praedictam, etiam per viam generalis legis, ac statuti perpetui, nec non iniri, ac stipulati contractus, seu quasi, & aliis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam praemissorum, aut quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac aliis quomodocumque, & qualitercumque, & quotiescumque concessis, ac concedendis, confirmandis, & etiam iteratis vicibus innovandis.

Quibus omnibus, etsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus huiusmodi speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetraverint, etiam per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum.

Quas quidem litteras & processus habitos per easdem, & inde sequuta quaecumque ad dictum Prioratum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequeutionem Prioratum, vel Beneficiorum aliorum praedictorum generari.

Seu si Decano, Magistris, & personis praefatis, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, à dicta Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenoribus existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, voluntatis, statuti, inhibitionis, suspensionis, mandati & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo primo, octavo Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Subscriptum Cardinalis Glorierius.

Abbatiam Affligemensem Religiosorum Ordinis S. Benedicti in Brabantia unit in perpetuum novo Archiepiscopatu Mechliniensi à se erecto, anno 1561.

XI.
Ex Op.
Dipl. Mi-
rrei Tom.
II. p. 903.